

Johann Jacob Döbel


Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Jacobus Döbelius, Med. D.P.P. Poliater, & Facultatis suae p.t. Decanus, Solemnes Exequias ... Dn. Jacobo Sebastiano Laurembergio ... & ad illas Omnium Ordinum Cives Academicos, ea qua par est, Auctoritate & Humanitate publice invitat : [Publicatum sub Sigillo Rectoris d. 8. Ianuar. Anno M.DC.LXIX.]

Rostochi[i]: Kilius, 1669

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756284023>


Druck Freier  Zugang






Uiac
orum
regium.

Vol. 241. (3.) <SON>





22 346
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIE NSIS
JOHANNES JACO-
BUS DÖBELIUS,
Med.D.P.P. Poliater, & Facultatis
suæ p. t. DECANUS,

Solemnes Exequias

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO

DN. JACOBO
SEBASTIANO LAU-
REMBERGIO,

JCro Excellentissimo, Pandectarum Professori Cele-
berrimo, & Consistorii, Serenissimorum Ducum, Provin-
cialis Assessorii Gravissimo,

Vidua Liberorumq; Mœstissimorum nomine parandas,
intimat,

& ad illas

Omnium Ordinum Cives Academicos, eâ quâ par est,
Auctoritate & Humanitate publicè invitat.

Rostochi, Typis Johannis Kilii, Acad. Typogr.

150



Quando secundum
statutorum nostrorum nor-
mam, ab omni Cive bono ju-
giter observandam, CIVES
ACADEMICI, de Catalogo
Lectio-
num Publicarum nu-
per formando, cogitarem;
Primus erat omnium, cui
novissimum hodie honoris
pariter ac amoris officium

prestamus, qui sequentia mihi comendaret publicanda.
D. JACOB SEBASTIAN LAUREMBERG,
*si feralem & decretorium morbum, quo ad ipsam diram usque mor-
tem in praesens consistatur, per robustam & omnipotentem sum-
mi DEI manum & opem debellaverit; hora decima antemeridi-
diana explicabit Titulum DE OBLIGATIONIBUS ET ACTIONI-
BUS, seu venustissimum Universi propere juris, pulcherrimumque
compendium. Verum enim vero, quam esse modo
verum deprehendimus, quod dici in Logicorum Scho-
lis solet? Conditionalis nihil ponit in esse rei. Non debella-
vit morbum Collega desideratissimus; Ergonec Titu-
lum, DE OBLIGATIONIBUS ET ACTIONIBUS, explicatum da-
bit*

bit. Cumq; totus jam Professioni suæ, immò omni-
bus mortalium actionibus, renunciaverit: In vitissimis
nobis, atq; protinus mœstissimis, in ipsius vitæ Actio-
NES, inquirendi spartam, ultimùm reliquit. Eas itaq;
ut ab ovò quasi repetamus, Anno O. R. M. DC. XIX.
die XXIV. Novembris, horâ noctis XII. in celebri illò,
totius penè Germaniæ, Emporio, quod est *Hambur-
gum*, auspiciatissimum *nostræ* vitæ exordium duxit:
*Patre quidem Nobilissimò, Experientissimò & Excellentissi-
mò DN. PETRO LAUREMBERGIO, Medicina D.
Eximio, & Celeberrimò, in hac Univeritate, Pœseos Profes-
sore: Matre verò, Nobilissimâ & Spectatissimâ Matronâ,
MARGARETHA CARMONS, viduâ etiamnum superstite,*
quam optimò hoc, & obsequentissimò filiò, inter pu-
blicum honorum splendorem, sub extrema, decrepi-
tæ ætatis, tempora acerbissimè orbatam, divina boni-
tas soletur, ac, tantæ superandæ cladi, parem reddat.
*Avus paternus fuit Nobilissimus, Experientissimus & Excel-
lentissimus GVILHELMUS LAUREMBERG, Med. D. &
superiorum, itidem apud nos, Mathematicum Professor planè
insignis. Avia paterna, Nobilissima, virtutumq;, sexus
sui, splendore eminentissima JOANNA LONGOLIA, ex No-
bili Longoliorum Ultrajectensium stemmate oriunda. A-
vus maternus fuit Spectatissimus atq; integerrimus JA-
COBUS CARMON, Civis & Negotiator, dum ageret apud
nos, primarius: ex nobili Carmoniorum, qui sunt in Bri-
tanniâ, prosapia natus. Avia materna, clarissima Matro-
narum MARGARETHA, ex Nobili Sybetborum Livonien-
sium stirpe nata. Hisce tam Præclaris Parentibus na-
tus sacroq; Baptismatis extemplo fonte renatus,
à primis statim incunabilis in id incubuit, quò, non
omnem*

omnem pueritiam ludicris transigi, palam faceret; quin potius magnum se, Parentis magni, æmulum testaretur. Parens ipsius b. m. vix undecim annorum puer, integra Poëmata Græca, ut Argonautica, nunquam antea Latinè facta, convertit, & aliquando quatuordecim distincta genera Græca & Latina, à se composita, magnâ cum admiratione exhibuit. Noster Hic Anno M. DC. XXXI. die 7. Januarii, postquam scilicet undecim annos explevisset, splendidissimâ cinctus & Professorum, & aliorum Virorum Doctissimorum coronâ, in Auditorio maximô, pereleganti Oratione Latinâ, maximô omnium cum applausu, declaravit, quantos in humaniori literaturâ, & Oratoriâ præprimis jam fecisset progressus. Neque tamen in hoc subsistebat ejus, & discendi & dicendi ardor: verum eò adhuc deveniendum erat, quò absq; omni tergiversatione, immò absq; omni quoq; titubatione, ad Parentis optimi nutum, de quâcunq; sibi oblata materiâ, sermonem cum Doctis conferre posset: quod equidem, quàm felix, primò illo ætatis flore, fuerit affectus, sæpiusculè experti sunt, quibus tunc temporis in puero spectare virum libido fuit. Hisce fundamentis literariis, tam solidè, imò tam singulariter, hic Rostochii jactis, postquam ad superiores Academia- rum operas dimittendus esset, desistere aliquatenus cœpit, consentiente tamen Parente Prudentissimô, à vestigiis paternis, quando Juris, præ Medicô, studium arriperet, eidemq; animam totus applicaret. Hujus ergò persequendi gratiâ, Anno M. DC. XXXVII. ætatis suæ 18. in Academiam Grypticam missus, quam orsus erat, sub pari Jctorum fulgidissimô, DN. PETRO STE-

STEPHANI, & DN. DAVIDE MEVIO, Vice-Præfide
hodie in summò, quod est Wismaria, Tribunali Regiò,
Magnifico, Fautore nostro pretioso, strenuè telam
continnavit. Quemadmodum autem omnia mortali-
um, in hac mortalitate, sunt corruptibilia, fluxa, & cas-
duca; ita quoq; nostri stamen studiorum non levem
aliquam rupturam pati videbatur, quando, depositis
mortalitatis exuviis, beatissimus ejus Parens Anno M.
DC. XXXIX. ad beatorum sedes remigraret, ipseq; Fili-
us in matris, totiusq; familiæ solatium, domum revo-
caretur. Sed quicquid tamen hic, sortassean, duran-
te luctu, detrimenti pateretur, id omne postmodum
in Academia Juliâ, sub Viris Clarissimis, DN. D. HAH-
NEN, JCr. Celeberrimò, & DN. M. SCHNEIDER, Elo-
quentiæ tunc temporis Professore æstimatissimo, ita
resarcivit, ut virtus ejus apud exteros quoq; indies in-
claresceret, atquè Anno M. DC. XLII. à plur. Rev. DN.
M. SIMON HENNINGS, Hafniam Danorum voca-
tus, Informationi præficeretur DN. JOHANNIS UL-
RICI, qui hodie S. S. Theol. Doctor, ejusdemq; in Aca-
demiâ novellâ, quæ est in Scaniâ, Professor celeberr-
mus audit. Hâc spartâ quàm egregiè per annum san-
ctus, ob asperiores aëris, corporis autem proprii te-
neriorem constitutionem, mutare locum coactus fuit.
Reversus tandem ad nos, singulari amplissimæ Fac. Ju-
ridicæ indultu, quæ claris adeò hæctenus Ductoribus
didicerat, ipse non absq; singulari Auditorum deside-
rio, docere privatim Jura cœpit, donec tandem Anno
M. DC. XLVI. die XIV. Martii, Facultatis dictæ Deca-
no, *Viro Nobilissimo & Consultissimo DN. NICOLAO*
Schützen / J. U. D. & Codicis Prof. Publ. nomen suum
pro-

profiteretur, promerita virtutis atque eruditionis
præmia acquiraturus. Cùmq; in Examine privato,
quod rigorosum vocitamus, supra-expectationem om-
nium sese exhibuisset, omnium quoque suffragio id
facile obtinuit, ut ad Disputationem Inauguralem
pro Licentiâ summos in J. U. honores ac privile-
gia obtinendi, admitteretur. In quâ, cùm talem de-
nuo se gereret, qualem facile unusquisq; suspicari po-
terat; factum est, ut non diu post, à *Serenissimo & Cel-
sissimo Megapolensium Duce, Gloriosissima memoria, DN.
ADOLPHO FRIDERICO*, ad Historiarum Profes-
sionem Clementissimè vocaretur. Suscepit eam in
se modestissimè; sed hâc tamen lege, uti splendidam,
illam Martii Musarumq; sedem, *Belgium* puto, confir-
mandæ Prudentiæ causâ, lustrare ante sibi liceret,
Gratia fuit Gratiæ superaddita: secundisq; velis
appulit Lugdunum Batavorum, ubi statim Nobi-
les aliquot Juvenes manuuctioni ipsius se sub-
misere, quorum fidus etiam per præcipuas Bel-
gii, & Germaniæ postea superioris Civitates & Aca-
demias Achates fuit. Postquam itaque curioso simul
oculo atque animo, quæ è re suâ esse videbantur, no-
tâsser: salvustandem, & incolumis A. M. DC. L. denuo
ad nos reversus, *Decano Fac. suæ Viro Nobilissimo & Con-
sultissimo DN. HENRICO SCHUCKMANNO J. U. D.
& Codicis Professore*, non summos tantum, quos ante
ambiverat, in Jure honores consecutus, sed ipsam
quoque demandatam sibi Historiarum Professionem
est aggressus. Hunc laboris & Studiorum fructum
mox alius subsequebatur: quando, pronubo DEO, fe-
licissimo thalamo potit⁹, A. M. CD. LII. *lectissimâ ac pu-
diciissimam*


dicissimam Virginem, ELISABETHAM, Viri Amplis-
simi DN. SIMONIS SPENGMANNI, Senatoris quondam, apud
Stralsundenses, spectatissimi, Filiam, luctisonam hodie
Viduam, solemnibus sibi nuptiis sociaret. Cum hac
tranquillissimum & optatissimum, annorum sedecim,
exigens Conjugium, Filios quatuor, Filias tres, ex
eadem suscepit, e quibus Filii duo, SIMON PETRUS,
& JACOB SEBASTIAN, Filiae itidem duae, ANNA
MARGARETHA, & JOHANNA ELISABETH,
superantes, testandi debiti officii causâ, cum Matre
luculentissimâ sonus ducunt: reliqui tres uti JACOB
SEBASTIAN, WILHELMUS HINRICUS, & SOPHIA
MARIA, in primâ ætatis teneritudine, fati jam cesse-
runt. Postquam autem egregius virtutis doctrinæque
ejus odor longius latiusque spargeretur, constitutus
est Anno M. D C. LIX. à Serenissimo & Illustrissimo Do-
mino, DN. CHRISTIANO LUDOVICO, Duce, & Academia
hujus Cancellario Magnificentissimo, Domino nostro Clemen-
tissimo, Professor Pandectarum, & Consistorii Ducalis
Assessor; quo quidem munere laudatissimè est
defunctus, donec, ante semestre fortè spatium, ex la-
terente jam, per aliquot annos, Scorbutò, Cachexiâ la-
borare videretur: cui tamen depellendæ, adhibita va-
riorum opera eo usque profuit, ut restitutus aliquan-
tisper in publicum etiam prodiret. Verùm mox gra-
vius quoddam malum, ex insidiis quasi ingruens, to-
tius corporis colliquationem, sicque veram, cum o-
mnibus symptomatis, tabem introduxit, quæ tam fe-
ralem virium jacturam intulit, ut spes evadendi o-
mnis decollaret, unde Divinæ noster se committens
voluntati, inter pias preces, & sacra colloquia, cœlesti
primùm

primū epulō pastus, die XXIX. Decembris, præteriti
M. DC. LXIIX. anni, circa noctis primam, placidissi-
mè in Domino obdormivit: postquam XLIX. annos,
IV. hebdomadas, & dies IV. absolvisset. Quiesce er-
gò jam, Collega optime, ac verà tandem cœli tran-
quillitate æternū fruire! Experiris nunc reverà,
quæ post fluxam omnis mundi vanitatem, DEI ipsius
manu parata ac recondita, eos, *qui recte factis actioni-
busque virtuosis* vitam ornayerunt, maneant. His ergo
felix citra fastidia, satiare, dum corpus cineribus suis
excitum, ejusdem dignitatis fiat consors. Quâ spe,
dum hodie, horâ primâ tumulabitur, ut frequentes,
novissimum deductionis honorem, Collegæ & Amico
nostro Honorando, *Cives Academici* exhibeant, mo-
nemus: juxta afflictissimam Matrem, mœstissi-
ma Vidua, & relictī orphani officiosè
rogant.


Publicatum sub Sigillo Reſtoris d. 8. Januar.
ANNOM, DC. LXIX.

Conventus fiet I. in aede Jacobeâ.









the scale towards document

ges ac Principes sæpè attoniti audivere: Sua-
eminentis vim, non secus ac Demosthenici
petum imperij Proceres sæpè sensere. De
non tantum privati, sed & publici partibus,
inis forma, de religionis purioris vindicijs,
ibus rectè instituendis, litium prolixis telis
ad publicam salutem conservandam necessa-
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-
lut alter Sulpitius, studio, usu, experienciâ, &
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ
planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij
storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-
peris continentia, in fortunæ instabilitate
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes
umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis
& occupatissimus fuerit, semper tamen
in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita
as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.
ioz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-
fente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum
siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &
iri & Labeonis Jcti exemplo annum quasi cum labori-
quibus tamen cum sensim nimis irretiri & aulæ astringi
caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,
demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus
mavit, seq; invictum reddidit: ast à morbis corporis se-
otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debiliore:
um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus
ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò
sentavit, & in ædis inducijs indultis, majori paulò post
ruans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,
Accesserunt lienis & mesaræi obstructiones, & quart-
ples scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-
alcens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-
monum